



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,  
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.  
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

**Pichler, Vitus**

**Augustae Vindel., 1733**

Titulus XLIII. De Presbytero non baptizato.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63462)

seu ex meritis Christi specialiter applicatis, uti Sacramenta.

Dico 1. Baptismus fluminis, seu propriè dictus, 2  
in Catechismo Romano p. 2. c. 2. dicitur esse *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vite*. h. e. Sacramentum novæ legis à Christo institutum, quod conficitur per exteriorem corporis ablutionem cum aqua elementari sub præscripta verborum forma, significante & causante gratiam, ac interiorem animæ ablutionem. Est omnibus simpliciter vel in re vel in voto ad salutem necessarius.

Dico 2. Effectus hujus baptismi sunt sequentes. 3  
1. Confert per se primam gratiam sanctificantem cum habitibus fidei, spei & charitatis.  
2. Remittit peccatum originale, &, si adultus cum attitione baptizetur, peccata etiam actualia, totumque reatum pœnæ peccatis debitæ delet, non tamen pœnalitates.  
3. Imprimis animæ characterem indelebilem.  
4. Baptizatum efficit membrum, & subditum Ecclesiæ, cujus janua esse dicitur. c. 3. h. t. Conc. Florent. in decreto fid. Conc. Trid. s. 5. can. 5. s. 6. can. 14. de Justific. s. 7. can. 9. de Sacram. in genere. & s. 14. c. 2. de Pœnit.

## TITULUS XLIII.

### *De Presbytero non baptizato.*

#### SUMMARIUM.

1. 2. *A non baptizato nec Ordo nec aliud Sacramentum validè recipitur.*

Cùm



1 **C**um Baptismus sit fundamentum & janua reliquorum Sacramentorum. *c. 2. de cog. nat. spir. in 6.* Trid. *f. 14. c. 2. cit.* nemo capax est alterius Sacramenti suscipiendi (etiam Evcharistiæ, licet conficiatur extra actualem susceptionem, nisi materialiter tantum) qui baptizatus non est, ideo.

2 Dico. Qui in presbyterum ordinatus est ante susceptum baptismum, invalidè ordinatus est, & de novo post susceptum baptismum ordinari debet. *c. 1. h. t.* præmissis quoque reliquis inferioribus Ordinibus. *c. 3. eod.* Cæterum, si quis ex Christianis parentibus natus, & inter Christianos fideliter conversatus est, præsumptio Juris violenta Baptismi suscepti inducitur. *c. 3. cit. in f.*

## TITULUS XLIV.

*De Custodia Evcharistiæ, Chris-  
matis, & aliorum Sacramen-  
torum.*

### SUMMARIUM.

1. 2. *Evcharistia, Chrisma, & Sacramentalia  
quomodo asservanda.*

1 **P**er *Evcharistiam* hic veniunt species panis Evcharistici, sub quibus latet Christus cum Divinitate & Humanitate tota: per *chrisma* autem oleum balsamo mixtum ab Episcopo benedictum, quod à Parochis adhibendum est in Baptismo solenni, seu cum ceremoniis